

*Carduus canus*, similes, sed in meo erant folia magis sinuata.

Tentabo sollicitare . . . ut emat Tua opera europaea.

Has dum exaro, uti Rector Academiae Upsaliensis praesens, mitto ad Academiae Bibliothecarium, D. Frondin, ut compararet sibi pro Bibliotheca partes Tui operis, quae nondum accepit, ad has regessit Bibliothecam possidere Observationum partes I. II. III., reliquas desiderari, una cum operibus Tuis, quae postea prodiere, uti Horti et sylvestres plantas. Has petit omnes absque coloribus vivis.

Si occasio sit Tibi ea opera mittendi, eos solvat. Ne vero, si ego interim moriar, ulla ratione confusio oriatur, mitto propriam ejus schedulam.

Upsaliae 1773, d. 12. Novembr.

---

65.

Amplissimo Viro DD. Jacquin s. pl. d. Car. Linné.

Miror quod meas responsorias non acceperis, forte nunc accepisti; distuli enim responsum diutius, cum expectarem responsum Bibliothecarii, quod tandem erat mihi gratum. Petit enim ille a Te pro Bibliotheca academica Libros de plantis austriacis et Hortensibus, nec non fasciculos reliquos, habet enim Bibliotheca antea tantum tres primos fasciculos, quos itaque non expedit.

Justiciam Tuam scripsi occurrere in Burman. Zeylan. tab.

Gypsophila Tua non est fastigiata, neque mihi visa.

Artemisia tenuifolia Clus. non est maritima mea. Quaeso describas accurate flores et quot habet flosculos femineos.

Quaeso inclusas mittas ad D. Wulfen.

Senecio Doronicum non est meum. Pro hoc longe aliam plantam habui; Tua enim est vera Doronici species ut